



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 6. Societatem malam fugientium Exempla.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum nunquam potest habere confortium. S. Chrysof. hom. 12. in c. 7. Matth. varios locos.

Si in civitate aliqua sis habiturus, de ære curioso inquiris; an non sit salubris? non temperatus? non ficcus? de anima autem rationem initurus; non es sollicitus de eorum consuetudine, qui cum ea sunt congressuri; sed temerè, & inconsideratè, eam omnibus permittis. S. Chrysof. in Pl. 4.

Quemadmodum qui in aere pestilenti versantur, in morbos incidunt necessariò: Sic qui temerè cum quibuslibet vivunt, in vitia illorum incurrunr. S. Nilus lib. ascet.

Non evadet peccatum, qui socius esse voluerit peccatorum. S. Laurent. Justin. de inter. consl. c. 2.

Nihil æquè exitiale, nihil æquè noxium est; atque pravorum hominum consuetudo. Nam quidquid vis, aut necessitas, potest; hoc ipsum quoque valet amicitia, & familiaritas; idque tam in rebus turpibus, ac flagitiosis; quam in honestis, & salutariis. Victor Antioch. ad c. 9. Marc.

S. Hugo Ep. Gratianop. dicere solebat: non à mulierum tantum, sed à virorum quoque vultibus Religiosæ mentis avertendum intuitum: fieri enim, ut affectiones conspecti frequenter ad conspicientem inæstimabili velocitate pertranscant; & de irato iratus, de tristi tristis, de lasciviente fiat lascivientis. Bollandus. 1. April.

Quærat qui sapiens est, à malis hominibus secretum. Et si aliquando expedit; potius cum animalibus, quam cum sceleratis hominibus, exhilarationis caperet compendia. Sim. Cass. l. 4. c. 4.

## §. VI.

Societatem malam fugientium  
Exempla.

*Timuit ergo Elias &c.* 3. Reg. 19. 3. Non mulierem fugiebat Propheta tantus; sed sæculum. An mortem timebat, qui se obtulerat requirenti, & qui dicebat ad Dominum: *recipe animam meam*: tædium vitæ istius

sustinens, non cupiditate: sed fugiebat sæcularem illecebram, & conversationis maculosæ contagionem. S. Ambros. lib. de fuga sæculi c. 6.

*Domine, nè in furore tuo arguas me. &c.* Pl. 6. 2. Quò motivò id petit? *discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* v. 9. q. d. hoc te moveat ad misericordiam, quòd malorum societatem fugi. Pinna Eth. 249.

*Sana me Domine.* Pl. 6. 3. ubi Propheta inquisivit, quibus modis posset hanc spiritualem sanitatem adipisci, subdit v. 9. *discedite à me omnes &c.* id est, ut animæ sanitatem consequar, unum mihi faciendum reor; quò peractò omnia expedita erunt: scilicet malorum consortia vitabo. Basilus hic: non contemnenda via ad virtutem malorum fuga: fructus enim hic est respicientiæ, & lacrymarum lucrum. Pinna ib.

*Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Pl. 6. 9. Emendationis ingreditur partem: ut, qui malorum collegio peccaverat, fugatis à se talibus, mandatis Domini devotissimus adhereret. Cassiodorus hic.

*Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* Pl. 11. 2. id est, cum multi essent iusti, quorum amicitia utebar, & societate; non erat ita necesse à te fulciri: nam bonorum amictus me ad pietatem adducebat. At postquam defecit sanctus, & de medio sublatus viri pii; & in contubernio malorum dego: nisi gratia tua sit mihi pro fulcro; omnino decidam. Ità Basilus apud Pinna cit.

*Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Pl. 25. 1. Unde ei tanta innocentia? subdit v. 4. *edivi Ecclesiam malignantium; & cum impijs non sedebo.* v. 5. q. d. id unum me in hanc securitatem inducit; quòd iniquorum consortia vitavi. Prima antè cit.

*Quærebat videre Jesum &c.* Luc. 19. 3. Sed non poterat præ turba. Qui igitur vult videre Jesum, exeat de turba, vitet malorum consortia. S. Euseb. Emils. in Dedic. Eccl.

Hoc est murus, hoc propugnaculum, hoc virtutis incrementum; malos fugere, coactum, & conspiciatum apud se consistere totò vitæ tempore; & ab ijs, quæ corrumpunt, se junctum habitare. S. Chrysof. in Pl. 140.

